Omaggio dell'Autore

19

Sac. MARCUS BELLI

CONCORDIA IULIA


ROMAE
EX OFFICINA FORZANI ET SOCII
A. M DCCCC

Sac. MARCUS BELLI

CONCORDIA IULIA

ROMAE
EX OFFICINA FORZANI ET SOCII
A. M DCCCC

Excerptum e romano commentario *VOX URBIS*
an. III, n. XVII.



DARIUS BERTOLINIUS

CAROLO BERTOLINIO

AMICO OPTIMO

IN Venetis, ad ripas Lemenis, haud procul ab oppido, quod Portum Romatinum vocant, Concordia Iulia sita est. Haec olim florentissima Romanorum colonia, inlustribus celebrata laudibus, modo pagus humilis est, cuius incolae, agros colendo, venando et piscando, aegre sed honeste vitam agunt. De eius vetusta origine et monumentis, quia multi dixere, pauca summatim perstringemus, duce Dario Bertolinio (1), qui vir, summo ingenio ac mira eruditione praeditus, unus omnium complures inscriptiones in agro Concordiensi postremis hisce temporibus repertas luculentissime explanavit.


Bertolinius igitur Concordiae Iuliae originem tribuit M. Antonio triumviro, qui, antequam in Orientem contra Cassium et M. Brutum castra moveret, hunc locum praesidio munivit, quod ad populos Venetae regionis coercendos idoneus esset, atque tutum redderet iter ad provincias, quas Caesarianae factionis

(1) De Darii Bertolinii vita et operibus egregie scripsere: Dinus Mantovani, Carmelus Berti, Ernestus Degani, Venantius Savi.

hostes, post dictatoris necem, occupavissent. Hinc colonia anno septingentesimo decimo secundo ab Urbe condita, idest anno quadragesimo secundo ante Christum natum, deducta est. Neque a vero abhorret Concordiam Iuliam, ab initio, adiecto conditoris nomine, « Iuliam-Antoniam » appellatam fuisse, idque appellativum nomen usque ad praelium Actiacum (31 a. Ch. n.) obtinuisse, quo M. Antonii fractae vires cum gloria occidere. Quae clarissimi Bertolinii opinio satis probabilibus testimoniis confirmatur: etenim in agro Concordiensi, Antonii numismatum multo maior adest copia quam Octaviani; prorsus autem desunt numismata Lepidi: nec quisquam ignorat, colonias deduci solitas ab imperatore legionum, quae loci tutela relinquerentur.

Hic tamen cl. Bertolinius non quievit, nam suis diligentissimis investigationibus, in quibus, fere viginti annorum spatio, strenuam operam navavit, ex lapidibus, ex ruderibus, ex parietinis Concordiensibus (sit venia verbo!) *oracula promens*, atque fossoris cuiusdam ope, Iacobi Stringhetta, illiterati quidem hominis, sed memoria firma ac diuturna praeclari, eo processit ut, religiosa cura, antiquam coloniae descriptionem (1), quae, graeco nomine, τοπογραφία audit, graphice in pristinum plane restituerit. Quod opus, praecipuum Bertolinii decus, et antiquae artis studiosis, Mommsenio praesertim, valde probatum,

(1) Coloniae Concordiensis tabulam lineis descriptam Bertolinius in lucem edidit usque ab anno 1880. — Cfr. *Notizie degli scavi Concordiesi*, etc. Roma, 1881.



Concordiae Iuliae, prouti nunc est, prospectus.

quanti laboris fuerit, nobis solummodo visum est, quibus datum, ut, oculis, tanti viri impigram invictamque constantiam admiraremur.

Quaenam coloniae descriptio? Urbs Concordia, in circuitu praebens speciem sexanguli, patebat in longitudinem a septemtrione ad meridiem, paulum in occasum solis vergens; idque, iuxta recentes geographos, respondet: *da nord-nord-est a sud-sud-ovest.* A septemtrione ad meridiem longitudo maxima = m. 853; ab oriente ad occidentem latitudo maxima = m. 518; area perimetros = mq. 418 555,50, scilicet Pompeianae areae e tribus partes duae.

Hanc aream a septemtrione ad meridiem duae principales viae (« cardines ») in tres zonas dividunt. Singulae autem zonae aliis duabus principibus viis (« decumani »), ab oriente ad occidentem, in totidem rectagona rursus dividuntur. Ita area tota, ut Pompeiana, ex novem regionibus constat. Cardines inter et decumanos, aliae minores viae his parallelae. Forum est in media insula situm: ad cuius latera bases magnae, quae excellentium virorum de re publica bene meritorum statuas sustinerent, et parvae quaedam pilae ex cocto latere (quarum una in museo Romatino asservatur), cum quadrato foramine in summo, quae fortasse velabri adminicula fulcirent, erant collocata.

Alveus manu factus, ab occidente profluens, mediam urbem interfluebat. Huius alvei vestigia exstant in ponte lapideo, ab haeredibus cuiusdam liberti, ut patet ex gemino in pilis epigrammate, restituto vel

probabiliter aedificato, praeter viam quae ab Altino Aquileiam ducit. Diximus « restitutum vel probabiliter aedificatum », idest sumptibus liberti, cuius in epigrammatibus nomen inscriptum est, quia lex vetabat quominus inscriberetur nomen operi publico alterius quam principis, aut eius, cuius pecunia id opus factum esset.

Hactenus de coloniae origine et descriptione. Quod attinet ad rei publicae disciplinam, Concordia Iulia, ni excipias « tribunum plebis », alibi perrarum, a ceteris coloniis haud multum discrepat. Digna tamen quae notentur haec sunt: cives omnes « iure suffragii et honorum » gaudent. Senatui (« Ordo »), centum virorum, legum ferendarum potestas competit, eique « duumviri » et « aediles » auxiliantur. Collegiorum artificum unum tantum novimus, « sagittariam fabricam ».

Has Concordiensis coloniae notitias ex epigrammatibus nummisque I et II saeculi post Christum natum cl. Bertolinius compertas habuit; unde constat, Concordiam, maxime, Antoninis regnantibus, viguisse (138-161 p. Ch. n.). Quaenam inde Concordiae fata fuerint usque ad Constantinum Magnum eiusque successores penitus nos latet. Id unum scimus, Concordiam, suis moenibus, regiis honoribus excepisse Theodosium Magnum et Valentinianum II, qui ibi, anno 391, leges *De fide testium* et *De apostatis* tulerint (1).

(1) V. Bertolini, *L'Epigrafia Concordiese* (Estratto dagli *Atti della R. Deputazione veneta di storia patria*), 1887-88, pag. 29.

De Concordia, anno 452, ab Attila Hunnorum rege funditus deleta, deque sanctis Donato, Secundiano, Romulo et sociis, saeviente Diocletiani persecutione (304), extra portam Orientalem, iuxta fluvium Lemenem, sublimi martyrio coronatis, quorum lipsanis miraculorum numero insignibus, auspice doct. Francisco Isola, Concordiensium praesule peramantissimo, festa centenaria in annum 1904 indicta sunt, alias dicemus.

Verum nobis huic narrationi, pedestri stilo exaratae, finem imponentibus, liceat iterum in Concordiensium memoriam Darium Bertolinium illum revocare, cuius opera Concordia Iulia, in Romatino museo, hodie ceu Phoenix « post fata resurgit ». Absint ideo Maevii et Fufeni ignobiles, qui, omnibus invidiae ventis circumflati, tam egregii viri famae obtrectent! Nos semper pietatem eius, probitatem, intemeratam fidem, maximam ingenii vim, pro aris et focis, tuebimur; dumque piis eius Manibus aeternam caelicolûm pacem adprecamur, Tacitianum illud meminerimus: « multos veterum, velut inglorios et ignobiles, oblivione obrui; *Darium Bertolinium Concordiensibus narratum et traditum superstitem esse!* »

Srib. in Portu Romatino, kal. Aug. 1900.